

PETRVS NIGIDIUS PHILOSOPHVS MARPVRGENSIS.



Petrus natus est anno salutis 1500. Is cum literas amaret, prima rudimenta facile percepit, & ad pulcherrimam artium cognitionem adipiscendam animum adiecit. Itaq; Marpurgi tanta diligentia ijs incubuit, ut earum Magister creatus fuerit. Erat etiam singulari mansuetudine & rara integratae insignis. Itaque primò scholæ puerorum præficitur, ut adolescentiam bonis artibus imbueret, atq; aditum ad altiora studia pro suo candore ostenderet. Id quod ipse magna diligentia perfecit, atq; interea Aristotelicæ Philosophiæ & rerum natura lium contemplationi operam dedit. Hinc factum, cum diu sese in Pedotribia magna laude exercuis set, ut tādem Marpurgi Philosophiæ professor declaratus fuerit. Eā functionē is præclarè suscepit, & feliciter hactenus administravit, ita ut ad hodier num diem usq; ueneranda canitie conspicuus in eadem perget, & omnibus prodesse cupiat. Anon.